



**Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis
Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et
Justitiae, Sive Decisivi Discursus**

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in
quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus
respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum
luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque
omnibus in utroque Foro ...

Pars I. De Testamentis, Codicillis, & ultimis voluntatibus. Pars II. De
Hærede, & Hæreditate. Pars III. De Legitima Trebellianica, & aliis
Detractionibus

**Luca, Giovanni Battista de
Coloniae Agrippinae, 1690**

Disc. XXXI. Lucana collationis. De collatione inter cohæredes facienda de
iis, quæ citrè titulum hæreditarium à defuncto in eos obvenerunt, &
consequenter de imputatione in propriam portionem, an, & ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74043](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-74043)

juris nimium probabile, cum nulla suppetat con-
gruatio, ob quam actus bonâ fide, ac sub justa
credulitate initus, in totum rescindi debeat.

Quatenus verò pertinet ad modum faciendi
hanc supplitionem, seu reducendi ad equalitatem;
Dicebam, quod; Aut bona sunt ita distincta,
quod in eisdem, absque singulorum corporum scis-
sura, vel aliorum bonorum incommodo ac praeju-
dicio, adæquatio fieri poterat, & tunc de plano res
decidenda veniebat; Aut verò non erant ita distin-
cta, & tunc ex superiori sententia locus erat. Judicis ar-
bitrio pro facienda adæquatione juxta qualitatem
bonorum, ita, & taliter, quod utrique Parti æquè
consultum remaneret, etiam admittendo aliquam
refusionem, seu supplitionem in pecunia, seu mo-
bilibus ex iis, quæ ceteris relatis habentur apud Fon-
tanell. de pass. class. 4. gl. 9. par. 2. n. 75. cum seqq.
Capyc. Latr. decif. 28. num. 8. & 11. cum seqq.

Quavis enim in hac materia divisionis, super mo-
do illam faciendi, nostri majores de more nimium
variaverint, magna que opinionum diversitas habe-
tur, ut patet ex deducitis apud Capyc. Latr. dicta de-
sis. 28. ubi elaboratè ferè omnes colligit diversas op-
piniones, quæ desuper habentur; Aliis volentibus,
ut major dividat, & minor eligat; Aliis autem ut si-
eri debeat per sortes; Ac aliis ut sieri debeat per par-
titum, cum similibus ibi recentis; Verius tamen
semper credidi istam quoque esse de questionibus
potius facti, quam juris, certam, ac determinatam
regulam generalē non recipientibus, sed pro facti
qualitate, & circumstantiis decidendis, attento po-
tissimè more regionis, istoque cessante, attendi de-
beat qualitas personarum, ac bonorum respectivè
prudenti arbitrio, quoniam si (e.g.) ad simili bona
adiacentia, seu aliis congrua aliis bonis confortis,
tunc rationabile est, ut hinc illa adjudicentur ex re-
gula, ut quod unum non nocet, & alteri proficit &c.
Sive etiam, ut frequenter contingit, quando bona
hæreditaria sint in pluribus provinciis, vel locis, ut
cuilibet respectivè assignari debeant ea, quæ magis
congruent; Potissimum verò, ubi uni corum obstat
posse incapacitas, ut frequenter contingit in locis,
ubi vigent Statuta inhabitantia forenses, ex deduc-
tis per Capitulum, & Add. de s. 42. Ciriac. contr. 36.
n. 9. & contro. 117. num. 7. Michalor. de fratr. par. 3.
cap. 38. num. 25.

Et in una Spoleiana fideicommissi pro Antonio
Tigrino, cum Pertusio, disputata coram A. C. Cum
istis quamdam hæreditatem pro communi possi-
dentibus, Pertusio præsum commune alienasset,
Tigrinus verò quamdam domum communis nomi-
ne emisit, atque occasione divisionis, controver-
sia exortæ essent, de duobus præsertim agebatur;
Primi scilicet ut Pertusio, qui alienationem præ-
diū fecerat, Tigrino partem pretii refundere tenere-
tur; Et secundò, ut Tigrinus qui emptionem fece-
rat domum, habere deberet à Pertusio refectionem
partis pretii erogati; & in utroque pro Tigrino re-
pondendum esse dicebam.

Quatenus enim pertinet ad primum, textus est
litteralis in l. nemo ex sociis ff. pro socio, quod si
socius rem communem alienavit, tenetur pretium
quod recepit cum socio communicare.

Et quoad alterum dicebam, quod casus expre-
scit, deciditur per Bart. in l. 2. nn. 2. Cod. pro socio, cu-
jus haec sunt verba præcisa, Secundo est multum no-
tandum, quod licet unus ex fratribus emat pro se
fundum, & pro fratre suo, tum si in instrumento
continetur pretium, quod dictus venditor fuit confessus
habuisse, & recepisse a dicto tali mente nomine suo, &
nomine fratris sui, nec dicitur de ejus propria, vel

communi pecunia, quia tunc in dubio intelligitur de
pecunia propria solventis, ita quod ab alio fratre po-
test repetere partem pecunia, si vult partem prædiū; Id
que dicit perpetuo menti tenendum, quia valebiti-
bi ad mille aureos, & Barvolum sequuntur Alex.
Abb. & ceteri deduci per Rolan. conf. 4. num. 2. & 6.
lib. 2. Mantic. de tacit. lib. 6. tit. 16. num. 18. Micha-
lor. de fratr. par. 2. cap. 9. num. 13. cum seqq. ubi ex-
pressè reprobantur Natta, & Maillard. qui contra-
rium dixerunt; Et quidem Bart. sententia, claram
pro se habere videtur decisionem text. in ead. l. 1.
Cod. pro soc. ubi ad solam assertionem emensis, ac
que dicentes, totum pretium de suo solvisse, Impe-
rator decedit, pretii partem à socio refundandam
esse.

LUCANA COLLAIONIS

PRO
MARIA MAGDALENA
CVM
MARIA FELICE DE GAMBOGIIS.

Responsum pro veritate.

De collatione inter cohæredes facienda
de iis, quæ citrā titulum hæreditarium
à defuncto in eos obvenerunt, & con-
sequenter de imputatione in propriam
portionem, an, & quando intret: Etiā
specie quid de dote, vel dotis augmen-
to.

S U M M A R I U M .

- 1 **F**acti series.
- 2 Referuntur agentes de materia collationis, vel imputationis.
- 3 Quod ista sit questio voluntatis, & quomodo dis-
cenda.
- 4 Ad quid profundit regule generales, vel doctrina in
hac materia.
- 5 De contributio plurium baredum ad onera, & li-
gata.
- 6 De contributo ad debita inter hæredem feudalem
& alodialem.
- 7 Dos data filie conferuntur.
- 8 Habens pro se regulam, habet intentionem funda-
tam, & limitatio non presumitur.
- 9 Habenti probationem jam factam, vel intentionem
fundatam sufficit offuscare probationem
contraria.
- 10 Collatio debet intrare ob equalitatem.
- 11 Quod contrarium isto casu dicendum sit, quia ang-
mentum factum est in gratiam viri.
- 12 Quod datur ad compensandam inequalitatem, di-
citur ex causa onerosa.
- 13 In specie ut datum pro compensatione non conser-
vir.
- 14 Maliter in dose forvit causam lucrativam.
- 15 De distinctione plurium personarum formalium
in una materiali.
- 16 An imputationem tollat onus fideicommissi, vel
aliud simile.
- 17 De aquivoce, seu errore non distinguendis, si vel
eorum circumstantias.
- 18 De alio casu, & quod non intrat collatio in eo, qui
non curat hæreditatem &c.

DISC.

DISC. XXXI.

Habens Achilles dives civis, duas filias, unam earum matu majorem Mariam Fecilicem nuncupatam, collocavit in matrimonium cum Ludovico, medicina profeſſore, ejusdem civici ordinis, cum dote scutorum aurum 4000. ultra acconciūm scutorum 500. Deinde vero, Mariam Magdalena alteram filiam natu minorem, adhuc innubilem, sponſam destinavit Thomā ejusdem professionis medicinae, de familia tamen, quae inter nobiles in ea Civitate adscripta est; Cumque ob hanc ordinis diversitatem, iste secundus vir, cum æquali dote data primæ, matrimonium contrahere nolle; Et conveſto autem pater, ex prudentialibus motivis, abhorret hanc in qualitate patere; Hinc proinde in publicis tabulis dotalibus, eadem ad amulſum dos constituta fuit, quae priori filia tradita erat; Peropacan vero separatam, à fiduciario conservandam, promisit augmentum aliorum scutorum mille; Decedens autem, antequam dictum matrimonium contraheretur, in ejus testamento, facta expressione enixa voluntatis servandæ inter filias omnimodam qualitatē, ob æqualem dilectionem, mandavit, ut ex eius bonis, ante omnia detrahī deberet pro secunda filia, dos in eadem summa, in qua priori data fuerat, deindeque solvi deberent, primo omnia debita etiam dotalia, & secundo legata, id autem quod supercesseret in hereditate, æquiter dividi deberet inter diças filias, quas a quis portionibus instituit, innuptæ substituendo nuptias, quatenus in eo statu decederet, atque substitutam gravando tali casu quibusdam legatis pris in summa scutorum mille; Cumque sequitur morte testatoris, dictoque secundo matrimonio effectuato, inter praestas sorores ageretur de hereditatis divisione, orta est collationis, ac respectivæ imputationis quæſtio; Non quidem circa legatum dotis ad favorem secunda filie factum in eadem summa, in qua primæ data fuerat, cum istius respectu nullus esset collationis effectus; Sed in dicto augmentatione scutorum mille, cuius nulla mentio in testamento facta est; Quare desuper ex parte Mariæ Magdalene secunda filia collationem negantis, pro veritate confutus.

Respondi, quod licet DD. in hac materia, cum consueta opinionum varietate, solitusque distinctionibus, ac ponderationibus, sive frigiditatibus, in his præterim terminis dotis, quae per parentem filia data, vel constituta sit, nimium se involvere videantur, in eo præterim, an agatur de causa necessaria, vel voluntaria, quae etiam respectu filia per patrem de necessitate dotanda, recte verificatur in eo, quod congrua, seu paragium excedit; Sive (magis frigide) circa illam implicitam donationem, quae nunquam in mente habita, deduci solet ex forma stipulationis, vel ex verbis, & clausulis instrumenti dotalis, quae verè sunt Notarii potius, non autem partium, ex iis, de quibus, antiquioribus plenè cumulatis, apud moderniores frequenter actum habetur, & præterim apud Sursum cons. 143. Giovagn. cons. 82, lib. 1. Thomat. de c. 50. Michalor. de fratr. par. 1. cap. 12. & seqq. aque ad nimiam facitatem, tanquam per speciem formalis tractationis materiæ, cum consueto evagorio stylo Redena. cons. 75. Et in terminis donationis facta filio contemplatione matrimonii Rora in Auximana donationis 28. Junii 1658. & 18. Junii 1668. coram Bevilagna, quarum prior impressa par. 12. recent. decr. 389. & habetur sub tit. de donis. 174.

Cord. de Luca P. II. de Hered.

Aitamen dicebā verius esse, ut ista quæſtio sit nudifici potius, quam juris, ut potè voluntatis, quocies ista no explicata ambigua remaneat, ideoque prorsus erroneum est, ejus decisionem querere ex propositionibus generalibus, sive ex auctoritatibus, quae, occasione consulendi, vel decidendi, certos causus diversos percitant, quoniam in singulis, decisione peccat ex facti qualitate, ac particularibus conjecturis, vel circumstantiis, super quibus neque certa, & determinata regula statui potest, quoniam juxta generalem hujusmodi voluntatis quæſtionum naturam pluries in omni materia insinuantur, & præsertim in his terminis imputationis *sub tit. de legitim.* & *de r. et. disc. 24.* Sapè contingit, ut in uno caſu aliquæ conjecturæ affirmativam, vel respectivæ negativam collationis, vel imputationis faciant operationem, quae eisdem, ac aliis longè majoribus, in altero caſu denegetur, quia sic unus, vel respectivæ alterius qualitas exigat.

Regulae autem generales, vel aliarum consimiliū quæſtionum decisiones, congruae quidem sunt, earumque notitia, vel consideratio, nedum opportuna, sed etiam necessaria est, ad effectum bene, ac legaliter regulandi arbitrium, cui ambiguæ, seu conjecturæ voluntatis materia commissa est, non autem, ut decisio in uno caſu edita, vel propositiones illius occasione firmatae, cucumque alterius juxta consuetam pragmaticorum inepiam, applicari debeant, ut in proposito imputationis in legitimam advertitur *dicto disc. 24. de legitim.* & *de r. et. disc. 24.* & habetur etiam in hujusmodi quæſtionibus inter cohæredes *sub tit. de legatis*, in proposito contributi, quando hereditas legatis, ac oneribus idonea non est; Sive circā illud contributum, quod intrat ad debita, & onera hereditaria non solum inter cohæredes ejusdem hereditatis, sed etiam inter eos, qui ejusdem defuncti sunt heredes diversi in solidum, pro diversitate patrimoniorum; Ut tentis terminis juris communis civilis habemus in milite, in quo datur duplex distinctum patrimonium militare, & paganum, ideoque duplex diversus hæres in solidum, quod in pagano deneratur.

Ac etiam à simili habemus in feudatariis, qui milites dicuntur, ideoque duplex diversum habent patrimonium, feudale scilicet, quod jure militaris habetur, & allodiale, quod paganici naturam habet, quoniam licet, ubi agatur de debitis indifferenteribus, quæ præcisæ in unius patrimonii causam contracta non sint, intret æquale contributum proportionabiliter, ac pro viribus, sive, ut vulgo dicitur, per as & libram, quamvis magis bona unius, quam alterius patrimonii, pro illis obligata fuerint; Attamen id cessat ex diversa defuncti voluntate, quamvis tacita, seu præsumpta ex conjecturis deducta, ex iis, quæ habentur in sua materia *sub tit. de feндis disc. 21. & seq. cum similibus.*

Applicando autem ad rem; Dicebam quod certa est juris regula pro collatione, ubi præterim agatur de dote, cuius debitum in patre erga filiam quamvis divitem, ac aliunde provisam ex quadam juris civilis improbabili subtilitate, seu verius ex ejusdem juris improbabili intelligentia, reputatur necessarium juxta ea, de quibus apud allegatos, quæ tanquam notoria præsupponenda sunt, & consequenter, ubi ex parte illius, qui collationem negat, non probetur diversa voluntas, tunc fundata est intentio illius, qui eam fieri debere afferat, ex vulgaris axiome quotidiano, de quo Barbos. axiom. 198. Mantic. dec. 25. nu. 4. & passim, ut habens

De LUCA
De
ſtamentis
et cat.
GVI
3

DE HAERDE ET HAEREDITATE

pro se regulam juris, habere dicatur intentionem fundatam, donec ille, qui allegat limitationem, eam concludenter probet, cum limitatio in dubio presumenda non sit.

Fortius vero, pro reguli judicandū venit, ubi eidem, voluntatis augmenta, vel conjectura affiantur, quamvis ista non sint præponderantes, quoniam ut plures advertitus præfertim *sub tit. de fideic.* ex propositione, de qua ceteris relatis *apud Surd. cons. 505. num. 6. Rota apud Merlin. decif. 597. num. 33.* repetit *ad decif. 229. p. 6. recent. & recs. 158. & decif. 270. utrobius num. 3. par. 10.* Habent suam intentionem jam fundatam, sufficit cum ejus probationibus, quamvis imperfectis, & inæqualibus, offuscare, atque dubiam reddere contrariam probationem allegantis limitationem, ideoque conjecturis, & argumentis hinc inde colluctantibus in vicem se destruentibus, vel debilitantibus, atque ita impedita contraria perfecta probatione, exinde resultat, ut fundata remaneat intentio habentis pro se regulam, vel aliam jam perfectam probationem, ut etiam advertitur occasione agendi de dote simulata *sub tit. de dote disc. 24. & alibi.*

Cum igitur in hac facti specie, collationi, non solum affisteret juris regula, sed potius affisterent etiam majora argumenta, ea præfertim, quæ resultabant à nimium enixè declarata voluntate servandi inter filias omnimodam æqualitatem, cum expressione æqualis dilectionis, ac etiam quia demandando separationem dotis secundæ filia in nuptijs, illam expressit in eadem summa, quæ priori constituta fuerat; Hinc proinde, quando inter ipsas sorores, & cohæredes questio tantum esset, tunc pro collatione sine dubio responderi debuisse, dum è converso ponderabantur quædam argumenta levia, & æquivoca, non apta præponderare præfatis in contrarium urgencibus; Multò vero magis, dum ista argumenta duplè operationem facere debent, ideoque longè efficaciora desideranda sunt; Primo scilicet destruendi regulam juris; Et secundò destruendi argumenta, quæ eidem regulæ affistuntur, ut *d. tit. de fideic.* plures advertitus.

His tamen non obstantibus, pro collationis, ac respectivè imputationis exclusione, respondendum censui, quodque istud augmentum dotalis, juxta testatoris præceptum inter debita detrahi deberet, æqualis autem divisio inter sorores & cohæredes facienda esset de eo, quod in hereditate remaneret.

Motus adita sentiendum, ex eo quod istud augmentum factum non esset principaliter in gratiam secundæ filia, ut ejus meliorem faceret conditionem, atq; priori eam inæqualē redderet, adeo ut ipsi cum sorore contéderet de majori lucro, & cum quo præsupposito intrat ista collationis questio, sed principaliter, ac directè, promissum fuerat viro, ita allecto ad istud alias inæqualē matrimonij inæqualitatem resultantem à diversitate ordinis, dum tam patr̄ sponspæ, quam ipsa ac etiam prioris filia vir, erant de ordine ciuium, seu popularium, iste autem de ordine nobilium, quod ubique locorum, etiam in subditis Civitatibus, ad plures effectus est nimium considerabile, multò vero magis in Republica, in cuius regimine ordo nobilium longè maiores habet partes.

Hinc etenim resultat, ut istud augmentum redolat debitum onerosum, & corresponditum contractum cum viro, per implicitum contractum emptionis, & venditionis, vel compensationis inæqualitatis, cuius est pretium, ex iis quæ in casu op-

posito mulieris nubentis viro inæquali ad materiam textus in *I. fæmine Cod. de secundis nupt. vel ad alios similes effectus habentur ceteris relatis apud Capyc. Latr. decif. 22. num. 2. & seq. & sub. tit. de dote disc. 27. & 49.*

Et in specialibus terminis collationis, ut sub ea non veniat id, quod pro compensanda inæqualitate datum est *Fashin. lib. 5. contr. cap. 82. Surd. cons. 143. num. 57. Capyc. Larv. consult. 25. num. 70.* ubi alii allegantur.

Et quamvis in hac altera apoca conventum esse, ut istud augmentum, fortius deberet eamdem natum, doris jam constitutæ, circa obligationem restituendam in casu soluti matrimonij, ad favorum mulieris, quæ in eo fovere dicitur titulum lucrativum, juxta distinctionem inter virum & mulierem, de qua plures in sua materia *sub tit. de dote,* ut ille fovere causam onerosam, ista vero lucrativam; Attamen videtur lucrum remotum & eventuale, quoniam cum agatur de quantitate, nullum ejus dominium penes mulierem remanet, sed illud totum est viti constanti matrimonio, mulieri remanente quædam habituali actione, non exercibili, nisi quatenus soluto matrimonio ipsa supervivat, unde propterea, cum præmori posset, quamvis eamdem actionem ad heredem transmittat, ejus tamen respectu, actio est inutilis, ipsaque de facto nullam sentit utilitatem; Et consequenter dicebam, quod non verificaretur illa omnimoda æqualitas, quam testator inter filias in hereditate, bonisq; hereditariis desideravit, in modo expresse demandavit, dum illius filia minoris portio hereditaria esset minor, ac in qualis in scutis 500.

Ideoque advertebam, ut procedendum esset cum consueta distinctione plurium personarum formam, in una, & eadem materiali, ita duplice considerando, hanc secundam filiam; Primo scilicet tamquam heredem patris, qui poterat ultra legem, mam, cujus loco dos sucedit, vel in eam imputatur, instituere extraneum, atque in hoc titulo hereditario demandata est æqualitas, quæ nil communicebat cum altero titulo cuiusdam implicite donationis facta de dicta actione, seu reversione & ventuali præfati debiti principaliter contracti cum viro ex causa correspondiva, & onerosa ut supra.

Et quamvis difficultatem facere videbantur superius allegatae decisiones in *Auximana donationis coram Bevilqua,* in quibus firmatur, ut donatio facta sponsa contemplatione matrimonii, conferri, ac respectivè imputari deberet, quamvis ad eam filii ex eo matrimonio procreandi, directè vocati essent tanquam filii per quamdam speciem impliciti fideicommissi, adeo ut primus donatarius id haberet ex causa onerosa; Attamen id ibi firmatus, non quia generaliter de jure ita statutum sit, sed ex illius casus particularibus circumstantiis, ut decisio num lectura ostendit; Atque in hoc consistit adeo frequenter declamatum æquivocum, quod est parabolum quotidianum Juristarum, attendendi decisiones & doctrinas in genere, sive in sola formalitate verborum, non reflectendo ad diversitatem facti, cuius circumstantiis conclusis, verius est, ut ea, quæ ex causa onerosa, & cum onere fideicommissi dantur, conferri, ac imputari non debeant, ex iis, quæ habent dictu disc. 24. de legit. & detract.

In hoc autem proposito collationis, ac respectivè imputationis dotis, vel alterius rei habita à parente; Eatenus una, vel altera, seu utraque intrat, quatenus ille qui dotem, vel aliam rem habuit, successionem, vel legitimam petat, secus autem si contem-

contentus eo, quod in vita obtinuit, de successione non contendat, quoniam tunc per alios filios cogi non potest ad conferendum, ut deinde & qualiter dividatur, cum diminutione ejus, quod jam obtinebat juxta textum clarum in l. fin ff. de collat. dot. ubi communiter scribentes Barbos. in l. 2. par. 1. num. fin ff. solut. marim. Rot. apud Dunoz. decisi. 15. num. 2. & seqq. & decisi. 267. num. 7. dicta decisi. 369. par. 12. recen. per tot. Et in aliis; Et ita plures respondit præterit in Melevitana collationis pro Agathia Xerri, & in aliis, dum tunc alii filii prætendentebus nimiam inqualitatem à parente servata, aliud non competit remedium nisi illud in officiis, de quo agitur sicut in de dote disc. 156.

ROMANA HÆREDITATIS DE RIVALDIS

PRO

MONASTERIO PUELLARUM
MENDICANTUM.

CVM

LUDOVICO RIVALDO.

Casus disputatus coram Arbitris.

An, & quando cohæres, jus, vel actionem habent, ad bona possessa per cohæredem pro ejus portione, non redditis rationibus de bonis per ipsum habitis, ac distractis, ad materiam actionis *familia ericunda vel commun. dividendo*, seu collationis.

SUMMARIUM.

An officium emptum à filio familias censetur quantum debenes patris, & an premium donatum.

2. Fatti series.

3. De materia familia ericunda, vel communis dividendo, vel collationis.

4. Coheres habet condoninium in singulis bonis hereditariis.

5. Quislibet possidet totam rem communem pro sua portione.

6. De conclusione, ut fideicommissarius censetur accipere resumptionem bonorum de manus hereditatis, & eus autem ubicum gravato possidebat pro communi.

7. Si unus heres plus habuit, tenetur refundere coheredi.

8. Quid de majoribus expensis per unum factis.

9. Ut inter conclusio, de quanum. 7. quid requiratur.

10. Divisio bonorum mobilium præsumitur per longam observantiam.

11. Generaliter de præsumptione divisionis.

12. De eadem conclusio, ejusque declaratione, de quibus num. 7. & 9.

Pars II. de herede.

DISC. XXXII.

Juxta facti scripsi in hac eadem causa enunciata subtit. de Regal. disc. 150. occasione agendi de puncto, an officium emptum per filium familias, quantum censeatur de pecunia patris; & quatenus expresse, vel conjecturaliter de hoc constet, an censeatur filio donatum premium desuper erogatum, adeo ut illud in collatione veniat, nec ne; Defuncto Gaspare de Rivaldis, superstibus Ascanio Prælato, Baldassare, & Ludovico secularibus, ipseque negotiator esset, atque tunc præterit haberet magnum appaltum dohanarum, duraturum ad plures annos, in quibus, illarum, aliorumque negotiorum administratio fuit penes seculares, ob impedimentum quod Ascanio desuper præbebat Prælatura; Cum deinde ob earundem dohanarum camerale debitum, omnes dicti fratres in fuga positi fuerint, faciendo eam quam facere potuerunt traductionem, vel occultationem mobilium pretiosorum, unde propterea ad venditionem omnium bonorum stabilium, ac etiam officii possessi per Prælatum, per Cameram devenimus fuit; Sequutaque postmodum fuerit concordia, seu solidatio computorum; Hinc Ascanius, reassumptâ Prælaturâ, atque de Canonicatu Basilicae Liberianæ, aliusque beneficiis provisus, ac in pluribus Romanæ Curia officiis occupatus, spacio annorum circiter viginti, laudabiliter, & cum debito decore vixit, mortiens vero, notabilem reliquit assem, in quo hæredem instituit Monasterium, seu conservatorium pueriarum mendicantium Sanctissimi Sacramenti (cujus penè fundator dici mereatur) bene proviso Ludovico fratre superstiti, in statu coelibi constituto, de congrua præstatione ad vitam, & quem, defuncto circa proxima tempora dictæ reversionis ad patriam Baldassare, post ejusdem regressum à militia (in qua per aliquod tempus occupatus fuit) propriæ domi retinere conseruit, in figura tamen illius familiaritatis, quam minimum subordinatè frater dives cum fratre paupere exercere solet, ipso Ascanio semper bona omnia possidente, ac administrante jure domini absque aliqua ejus participatione; Verum dicto Ludovico non acquisiente defuncti fratri judicio, prætensionem exigit contra dictum Monasterium hæredem in actione familia ericunda, vel communis dividendo, super pertinentia medietatis agentorum, aliorumque mobilium, quæ justificabatur esse hæreditaria Gasparis patris, ac etiam super participatione aliorum effectuum hereditariorum, pro rata scitorum viginti millium circiter, quæ justificabatur quod durante appaltu, ac administratione dohanarum, priusquam molesta Camera supervenirent, ad ipsius Ascanii manus obvenissent; Introductaque defuperlite, atque de ordine Sanctissimi facto compromisso in tres Rotæ Auditores.

In disputationibus defuper habitis coram Arbitris; Scribebentes pro Actore, procedendo cum generalitatibus eorum, quæ in iure habentur rotis. 3 ff. & Cod. famili. ericise. & comm. divid. ac etiam in tit. de collat. cum concordantibus collectis per Michal. de fratr. par. 1. cap. 12. cum pluribus sequentibus, ubi reallumuntur ea, quæ defuper per antiquiores tradita sunt, & præterit per Ubald. in ejus tract. de fratr. Dicebant, quod in iis bonis, quæ justificabatur remansisse in hæreditate dicti Gasparis communis patris, cuius omnes erant & qualiter hære-

F 3

des,

De LUCA
De
statu
et cat.
GVI